

nem & liberationem publici status vestri, non ab oppressione tantum Gallica, quæ satis gravis sed brevior; sed etiam politica, quæ & prior & diuturnior fuit. Quis tam celerem rerum perditarum restitutionem & deformatarum notabilem reformationem sibi imaginari potuisset? Meritò etiã nunc *vox jubilationis & salutis auditur in tabernaculis justorum, dicentium: Dextera Jehovæ facit virtutem, Dextera Jehovæ exaltata, dextera Jehovæ facit virtutem? Non meriemur sed vivemus & narrabimus opera Jæh. Psal. CXVIII. 15. 16. 17.* Quandoquidẽ verò Deo Opt. Max. placuit in hac fatali totius federati Belgii concussione & restitutione, Serenissimum & Illustrissimum Principem Auriacum, antea à multis neglectum, contemptum & oppressum, summæ rerum præficere, & hæreditarium, terrâ marique, Governatorẽ & Imperatorem Provinciarum veltrarum constituere; optandum est, ut Deus ipsi Spiritum suum largiatur & adaugeat, piam ipsi conjugẽ, amicos, Consiliarios, conscientia informatores & ministros, atq; officiales largiatur, cumque ab insidiis & seductionibus Diaboli & organorum ejus, qualia sunt Doegi & Achitopheles, Jezebeles & Athalia, omnesq; pseudopropheta, non tantum in fidei, sed etiam morum doctrina, sive caupunatores verbi Dei, & vani ac mundani Theologi, custodiat, & sic illuminet, ducat ac regat, ut, in sancto nominis sui timore, ad suam summi Regis & Domini gloriam, veræ Reformatæ Religionis defensionem & propagationẽ, superstitionis & idololatriæ, veterum & novorum, in doctrina fidei & morum, errorum oppressionem, & grassantium peccatorum extirpationem, Regni Christi amplificationem, Regni Satanæ & Antichristi abolitionem, ad veritatis, justitiæ & pietatis promotionem, pacis & prosperitatis tum publicæ & privatæ, tum externæ tum multò magis internæ, procurationem & conservationem; ad lætitiã subditorum & amicorum, tristitiã verò errorem & pœnam omnium malorum, & apertorum tectorumq; inimicorum, ad Domus Auriacæ & Nassovicæ, in sua gratia, exaltationem & splendorem, propriamque suam salutem, tam arduum munus multos annos, administret. Nec possum hic silentio præterire memorabilia Dei, in causa mea, ipsi commendata, judicia, meritò prædicanda. Nam non solum isthic audire & videre dedit varias in familiis plagas, repentinos item præmatturos & miserabiles exitus dversorum persecutorum meorum; sed etiam, in hac status vestri reformatione, legere & audire dedit continuationem omnium adhuc superstitem, qui ex ordine Senatorio nobis favebant, & pro mea causa etiam pugnabant; oppressorum vero meorum superstitem exautorationẽ, & aliorum aliquot bonorum virorum, antea neglecto-